



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 39. Petri Meindarti electio in Ultrajectensem & decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

§. XXXIX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.*Petri Meindarti electio in Ultrajecten-
sem Pseudo - Archiepiscopum
a summo Pontifice irritata.*

Hoc item anno Theodorus de Croon Schismaticus Ultrajectensis Archiepiscopus ibidem fatis cesserat, mox autem istius Ecclesiæ Canonici Petrum Joannem de Meindarts Leovardiensem Pastorem in Successorem elegere: cum autem hoc Capitulum Pontificum judicio eligendi jure careret, & neelectus Janseniana labe notatus esset, ea propter Clemens Pontifex novi hujus Archiepiscopi electionem die sexta Octobris omnino nullam irritamque esse declaravit, edita sequenti Constitutione: „Ubi molestissimus Nuntius „ad Nos pervenit, aliquos factiosos „Clericos, qui se stulte, atque insolenter jactant Canonicos Ultrajectensis „Capituli ab annis supra centum extincti, eo temeritatis devenisse, ut „sceleri quotidie magis addentes, & „veterem seditionem recenti crimine „cumulantes, ausi fuerint die secunda „proxime præteriti mensis Julii in Ultrajectensem Pseudo - Archiepiscopum „nefarie eligere quemdam Petrum Joannem Meindarts, Pastorem, ut ajunt,

Pp 3

„Leo-

Sæc. XVIII. „Leovariciæ. quamquam aperte scirent,
 A. C. 1739. „istiusmodi execrabile facinus, ab ipsis
 „non semel antea patratum, ab Apo-
 „stolica Sede nefandum, irritum, inane
 „declaratum fuisse, deletum, abjudi-
 „catum. Nos illico Prædecessorum
 „nostrorum, Sacrarumque Legum mo-
 „rem, atque exempla sequuti, hanc
 „modo iteratam, illegitimam, sacrile-
 „gamque electionem, tradita Nobis e
 „Cælo potestate, rescidimus, abroga-
 „vimus, nullius roboris, vanamque
 „renuntiavimus: Eundem vero Petrum
 „Joannem, & quotquot ficto ementito-
 „que Canonorum Ultrajectensium no-
 „mine in ipsum suffragia contulerunt,
 „eique adhærentes, favorem, opem,
 „consilium, consensum præstiterunt,
 „& partes sectantur, fovent, tuentur,
 „auctoritate Omnipotentis Dei excom-
 „municavimus, anathematizavimus,
 „atque ab Ecclesiæ communionem segre-
 „gatos, ac prorsus Schismaticos ha-
 „bendos, & vitandos esse constituimus,
 „indiximus, & declaravimus.”

„Mandamus propterea, districte
 „que interdiciamus eidem Petro Joanni
 „sub pœna Excommunicationis, ipso
 „facto sine alia declaratione incurrendæ,
 „ne audeat jurisdictionem ullam, aut
 „pro animarum regimine auctoritatem
 „sibi arrogare, vel pro suscipiendis Or-
 „dini-

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

„dinibus Dimissorias Literas dare, Pa-
„stores, Missionarios, Ministros, De-
„servitores, aut alios, quocumque no-
„mine nuncupentur, ad animarum cu-
„ram, & Sacramentorum administra-
„tionem, quovis etiam necessitatis
„prætextu, constituere, ac deputare. „

„Simul quoque palam edicimus,
„& declaramus, omnes & singulas
„antedictorum Officiorum deputatio-
„nes pro animarum regimine, quocum-
„que nomine jam factas, aut fortasse
„faciendas cum omnibus inde sequutis,
„prorsus irritas esse nulliusque roboris,
„ac momenti. Rursus eidem Petro
„Joanni præcipimus, atque inhibemus,
„ne sub simili Excommunicationis pœna
„audeat Episcopalem Jurisdictionem,
„quam profecto nunquam adeptus est,
„exercere. „

„Qui vero per ipsius Literas Dimis-
„sorias fuerit Ecclesiasticis Ordinibus
„initiatus, noverit suspensionis vinculo
„se obstrictum, atque irregularitati
„præterea obnoxium, si susceptos Or-
„dines exercuerit. „

„Vobis autem Dilecti Filii, & qui-
„buscumque aliis etiam Episcopali, &
„Archiepiscopali Dignitate fulgentibus
„omnino, ac sedulo injungimus, ve-
„tamusque, ne præmonstrato n Petrum
„Joannem pro vero Ultrajectensi Epi-

Pp 4

„scopo

Sæc. XVIII. „scopo habeatis, & agnoscatis, neve

A. C. 1739. „cum eodem ullo pacto, præsertim in

„Divinis communicetis, aut ab ipso,
 „aut ab aliis per ipsum perperam de-
 „putatis Sacramenta, aut Ordines ac-
 „cipere, vel ullo modo illi, aut illis,
 „parere audeatis; imo eosdem tan-
 „quam alienos, sanctæ Sedi contuma-
 „ces, mandatisque Apostolicis refragan-
 „tes averfari, & vitare præcipimus. Præ-
 „terea sub pœnis canonicis, atque commi-
 „natione etiam indignationis nostræ in-
 „terdicimus ac severe prohibemus omni-
 „bus cujuscumque Catholicæ Ecclesiæ
 „Archiepiscopis, & Episcopis, ne ante-
 „dictum Petrum Joannem frustra ele-
 „ctum Archiepiscopum consecrare au-
 „deant. Cui pariter sub eisdem pœ-
 „nis interdiciamus, atque imperamus, ne
 „se a qualicumque Antistite consecran-
 „dum præbeat, utpote inaniter, &
 „nullo pacto Archiepiscopali Dignitate
 „donatum; qua sane illicita ac nefaria
 „consecratione tot alias subiret Ca-
 „nonicas pœnas, & nihilo minus ab
 „omni suscepti Episcopalis ejusdem Or-
 „dinis exercitio suspensus maneret.

„Itaque, Dilecti Filii, mandata hæc
 „nostra in spiritu filiorum adoptionis
 „accipientes, iis exequendis navate
 „libenter operam, ac fortiter averfati
 „versuta factiosorum ingenia, quibus
 „nihil

„nihil suavius est seditioso tumultu, Sæc. XVIII.
 „perturbataque Religione; debita si- A. C. 1739.
 „mul obedientia prosequuti Supremum
 „Patrem familias, unice prospicientem
 „vestræ felicitati, date documentum,
 „filios lucis Vos esse, nec habere cum
 „his rem velle, consuetudinem, socie-
 „tatem, qui ambulant in regione um-
 „bræ mortis, ac præter pestilentis do-
 „ctrinæ tenebras, quibus obruuntur,
 „ea denique mentis cæcitate laborare
 „incipiunt, ut priscos non minus sectæ
 „Hæreticos imitati, ficti Archiepiscopi
 „nomen in suos inducere aggrediantur:
 „Contra vero cum fideli grege con-
 „iuncti, verique Pastoris vocem au-
 „dientes, per sinceræ Fidei, Religio-
 „nis, pietatis pascua eo pervenire con-
 „tendite, ubi quantum Seductores isti
 „se deceperint, quam rectum vos te-
 „neritis æternæ salutis iter, læti bea-
 „tique comperietis. In cuius auspi-
 „cium Apostolicam Benedictionem Vo-
 „bis, Dilecti Filii, peramanter imper-
 „timur. „

Ceterum adversus hanc Papæ Con-
 stitutionem Ultrajectenses Canonici con-
 suetam suam appellationem haud am-
 plius interposuere, partim quod eam
 Romæ flocci haberi viderent, partim
 quod prætensum suum jus prioribus
 appellationibus satis firmatum crede-

Sæc. XVIII. A. C. 1739. rent, & aliunde ridiculum hoc effugium ad Lutheri imitationem adoptatum luculentam schismatis tesseram fore arbitrarentur, ipsi vero adhuc dum se in Catholicæ Ecclesiæ Matris suæ gremio foveri jactitent.

§. XL.

Principum atque Illustrium obitus.

Inter Præfules hoc anno denatos die vigesima quinta Januarii anno ætatis suæ sexagesimo nono in sua Abbatia vivis ereptus erat Bertholdus Mellicensis Abbas, qui ob insignem prudentiam rarasque animi dotes non modo Cæsari a secretis consiliis esse meruit, sed etiam anno hujus sæculi absente Imperatore Austriacarum ditionum Administrator nominatus fuit. Mensem pariter Februarium vitæ suæ exitialem habuit Augustus Zacco Travisanus Episcopus, & Mensem Septembrem Benedictus de Benedetti Spoletanus Antistes. Ineunte autem hoc anno factis cessit Joannes Baptista Massillon Berulliani Oratorii Presbyter Savignanus Abbas & Claromontanus Episcopus. Die vero decima septima Septembris Romæ mortalitatem exiit Ernestus Emmanuel Comes de Harrach Nitriæ in

Hun-